lior, quia ad impossibile nemo tenetur. Si vero contraria tibi subjective appareat verisimilior, illam sequares, si prudenter agere velis, cum enim objectum intellectus humani sit verum, ad illud meliori modo, quo potest, tendat, oportet. Si utraque tibi videatur æque probabilis, author tibi sum, ut eligas tutiorem, toties responsis Pontificis non tantum verbis consultivis, ut aliqui volunt, sed etiam præceptivis, inculcatam. Aliis omissis unica sufficit clementina: *exivi* de ver. sig. *ad evitandos graves remorsus conscientiæ pars securior est tenenda.* Q. 2. quid de Francisco? ℞. non putem, illum apud ullum probabilistam locum habiturum, etenim ille non verum sed quod sibi placitum quæsivit, contra illud Eccl. 32. *ante omnia verbum verax præcedat te.* Deinde agere paratus fuit secundum propositiones 28. ab Alexandro VII. & 3. ab Innocentio XI. damnatas. Quid ergo cum tali agendum? ℞. idem, quod cum illis, qui mere judicarunt, & practicarunt ut licitum, quia suo desiderio congruum.

§. III.

De *Lege sive remota actuum humanorum regula.*

POSITIONES.

Lex est *ordinatio rationis ad commune bonum, ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata.* S. Thom. 1. 2. quæst. 90. a. 4. ejus conditiones complectitur canon 2. dict. 4. ex Isidoro: erit honesta, justa, possibilis, secundum naturam, secundum patriæ consuetudinem, loco, temporique conveniens &c. ad τὸ justa requiruntur quatuor causæ scilicet *materialis*, ne præcipiat quod malum, aut prohibeat, quod bonum: *formalis*, ut onera subditis imponantur cum proportione ad facultates. *Efficiens*, nec ultra potestatem. *Finalis*, ut ad bonum commune. Est tamen differentia, quod legem secundum causam materialem injustam implere non liceat, bene vero secundum alias causas injustam, quamvis subditus non teneatur. Dividitur in æternam, naturalem, divinam, hæc in veterem & novam, deinde in humanam, hæc in Ecclesiasticam & civilem. Potestas legislativa convenit communitati, aut ejus præsidi, talis communitas est Ecclesia catholica, ejus præses & caput visibile summus Pontifex. ergo, ut lex actu obliget, promulgatio requiritur, ut conditio insupplebilis.

De

De Justitia legis.

I. Hiobius Princeps acatholicus videns ærarium suum exhaustum auget vectigalia, ut iterum repleatur. 2. Ex zelo religionis mandat, ut omnes qualescunque sint, in diebus dominicis saltem semel appareant in concione, ministri exinde occasionem arripiunt catholicos, quorum non paucos ibi latitare norunt, ratione fidei in concionibus exagitandi. Q. an utraque lex sit justa? R. ad 1. Si ad bonum commune, congruam sustentationem Principis aut officialium reipublicæ, justa est, qui enim reipublicæ inservit, de republica vivat, oportet. Si vero in gravamen subditorum ejusmodi onera augeantur, vel nova imponantur, pro luxu & luxuria Principis sine vel necessitate vel utilitate reipublicæ, desinit lex esse justa, & incipit esse exactio tyrranica, quæ numeratur inter peccata in cœlum clamantia. Habet insuper annexam excommunicationem Papæ reservatam in Bulla cœnæ (quæ adhuc viget) Sebaldus ex Suarez, item Prickarz. Eandem censuram incurrunt gabellarii, seu officiales gabellas injustas exigentes, non tamen sponte solutas recipientes, quia Bulla ponit: *exigunt*; contrarium tamen est dicendum vi can. 18. ejusdem Bullæ de recipientibus a personis Ecclesiasticis *etiam sponte dantibus*. R. ad 2. legem esse injustam ratione materiæ, quæ inducit in periculum perversionis. Patet ex responso Pauli V. ad anglorum interrogationem dato. Obedientiam mere politicam si Princeps petat, non hoc sed aliis modis exigat, neutiquam tamen injustam dicimus ob defectum potestatis; sic enim juxta Bannez, Suarez, Lugo, &c. infideles Principibus christianis subjecti sub pœnis possunt compelli ad audiendum verbum Dei, talisque lex pœnalis conscientiæ vim non infert, sed *crassam* eorum in salutis negotio negligentiam supplet. Hinc Gregorius XIII. constit. 92. statuit, ut Judæi sub pœna interdicti cum fidelibus commercii aliisque mulctis ad audiendam singulis Hebdomadis christianam concionem ab Episcopis compellantur. Quæ constitutio adhuc Romæ viget.

De Lege æterna & naturali.

II. Capreolus philosophus sed Neo-disputans cum Canisio dicit, legem æternam & naturalem esse idem. 2. Omnia quæ sunt conformia juri naturæ esse facienda, atqui marrimonium est tale, ergo Cœlibatus est illicitus. 3. Si autem matrimonium ob quædam obstacula fieri nequit, saltem multa erunt licita,

licita, ſi non ex ſe, ut clamant figuli peccatorum, certe ex præſumta diſpenſatione Authoris naturæ. Quid reſpondebit Caniſius ad hæc Neo-philoſophi objecta? ad 1. dicat, quod lex æterna ſit ipſa Dei ſapientia, dirigens actiones & motiones creaturarum ad bonum commune totius univerſi. Lex vero naturale ſit lumen quoddam creaturæ rationali impreſſum, & participatum a lege æterna. Differunt ergo entitative & materialiter, conveniunt vero quatenus eadem prohibent, eadem præcipiunt. Utraque a divina poſitiva diſcrepat, quod haec ſit libera, in quantum a libera Dei voluntate procedit, illæ vero ſint neceſſariæ. Ad 2. quod ſit diſtinguendum inter jus naturæ permiſſivum & præceptivum. Hoc ita obligat ad unum, e. g. honorem Deo vel parentibus præſtandum, ut nunquam permittat oppoſitum; econtra illud ita unum approbat ceu bonum & juſtum, quin ejus oppoſitum reprobet ceu malum & injuſtum. Et de hoc genere eſt communitas bonorum, ſtatus conjugalis &c. Quæ ita legi naturæ ſunt conformia, quin eorum oppoſita ſint naturæ difformia. Ad 3. quidquid intelligat capreolus ſemper erunt talia, per quæ finis adæquatus a natura intentus fruſtretur, conſequenter intrinſece mala ab authore naturæ indiſpenſabilia; utpote qui naturas rerum mutare nequit.

De promulgatione legis Pontificiæ.

III. Homo bonus lector in ordine religioſo per litteras privatas percipit a Benedicto XIV. eſſe damnatas propoſitiones quasdam duellum concernentes, quas ille hactenus docuit, poſtea audit Clementem XIII. vel maxime urgere legem abſtinentiæ a lacticiniis tempore quadrageſimæ, eaque de re ſpeciales dediſſe litteras ad ordinarios locorum, ſed ille neutrum curat, quia leges illæ in Diœceſi non ſunt promulgatæ. Q. an requiratur promulgatio legum Pontificiarum in ſingulis diœceſibus ut obligent? R. videri omnino, ſi novam inducant obligationem, alias enim daretur confuſio in populo, dum alii, quocunque modo ſcientes tenerentur, alii ignorantes non tenerentur, hinc quoad ſecundum bene judicavit Homo bonus; quamvis enim lex de abſtinentia a lacticiniis tempore quadrageſimæ ſit antiquiſſima; germanis tamen propter ejus impoſſibilitatem & præſcriptionem ſemper eſt nova.

Verum si declarent tantum jus antiquum, quales sunt leges dogmaticæ, damnantes propositiones aut libros contra fidem errantes, sufficit, quod Romæ promulgentur, quia quovis modo in notitiam alicujus erroris veniam, etiamsi proprio studio, jus naturæ dictat, ut abstineam, & consequenter homo bonus doctrinam theologorum de promulgatione legum Pontificiarum, in qualibet diœcesi requisita quoad primum male applicuit. Vide Cabassutium lib. 1. Theor. & prax. cap. 4.

De acceptatione legis.

IV. Nicolaus Episcopus videns in sua Diecœsi diebus dominicis & festivis plurima perpetrari mala, & verificari illius parochi dictum: Parochiani mei per totam hebdomadam sunt angeli, sed in diebus dominicis diaboli incarnati, de Consilio Capituli abrogat dies festos cum Jejuniis, quæ transfert in ferias quartas vel Sabbata adventus, præcipit vero sub mulcta pecuniaria Ecclesiæ solvenda, ut diebus festivis abrogatis populus de vespere post labores peractos signo dato compareat in Ecclesia, ibique parocho præorante recitet rosarium cum lytaniis de omnibus sanctis. Sed populus in nullo obediens iis diebus otiatur, jactans, se induci in errorem contra cultum sanctis exhibendum, neque se esse quakeros, qui de nocte conveniunt. Satrapæ autem ad omnia tacent, quia lex non est munita placito Principis. Q. 1. an requiratur promulgatio legis revocatoriæ? ℟. Si sit lex onerosa, de se non requiritur, sed sufficit, quovis modo innotescat revocatio, quia est destructio legis, minus autem requiritur ad destructionem rei, quam ad ejus constitutionem. In casu tamen requirebatur propter scandalum alias oriturum. Contrarium dicimus de revocatione legis gratiosæ, aut privilegii pluribus concessi, tum enim omnino necessaria videtur promulgatio in Metropoli cujuscunque diecœseos, si vero sit privilegium personale, debet ipsi privilegium habenti intimari, alias pro utroque plurima sequerentur absurda moribus formandis contraria. Q. 2. An lex dependeat a populi acceptatione in vi obligandi? ℟. negative: populus enim non acceptando legem justam peccat, ut patet ex Apost. ad Hebr. 13. Rom. 13. Luc. 10. & ex prop. 28. ab Alexandro VII. damnata. Q. 3. Quid placitum regium? ℟. Juxta

Theolo-

Theologos eſt privilegium quibusdam Principibus ſæcularibus a ſummis Pontificibus circa leges diſciplinares conceſſum, ut ab eisdem viſæ, eorumque placito munitæ tum demum in ipſorum regnis promulgentur. Privilegium autem extendi non debet, neque quoad perſonas, neque quoad loca, neque quoad materiam, cum ſit odioſum, ſicut diſpenſatio, conſequenter ſtricte interpretandum. Sed cum placitum regium ſit juris peritis modernis jus quoddam inſpiciendi leges pontificias, omnibus Principibus conveniens, hinc oritur dubium, quid per Jus illud intelligant? R. ergo 2. Si intelligant Jus ſtrictum tribuens inſpectionem authoritativam concedi haud poteſt, omnes enim in ſpiritualibus ſubditi ſumus ſummi Pontificis, quis vero hanc poteſtatem ſubdito unquam aſſeruit in regno, ubi poteſtas legislativa ſuperiori immediate a Deo eſt data. Verum ſi per illud Jus nil aliud velint, quam licentiam quamdam præſumtam, leges pontificias inſpiciendi, an non contineant aliquid juribus Principis, aut Patriæ privilegiis adverſum, an ſint loco temporique convenientes (ſic juxta quemdam theſiſtam antwerpienſem viſæ non placetatæ dicuntur) ut contrariis exiſtentibus poſſit fieri ſupplica remonſtrativa ad ſummum Pontificem, quatenus durantibus difficultatibus vel ſemper, legem pro illa provincia tollat, vel, ſi ad tempus, tantiſper ſuſpendat (quod utique faciet benigna mater Eccleſia, cum in univerſaliſſimo regno Eccleſiaſtico omnia prævidere haud poſſit) hoc modo contrarii non ſumus, cum hoc ad pacem inter rempublicam ſacram & politicam conſervandam, ad conſcientias tranquillandas omnino neceſſarium videatur. Ex his jam patet, quid dicendum de populo inobediente, quid de ſatrapis.

De poteſtate legis humanæ.

V. Proclus Epiſcopus tempore quadrageſimæ diſpenſat in abſtinentia a carnibus, ſed 1. ſub eadem obligatione injungit diſpenſatione utentibus, ut quotidie dicant quinque Pater et Ave, vel eliciant actus fidei, ſpei, & Charitatis ac doloris de peccatis cum propoſito. 2. Patroclus diſpenſatione utens hæc parum obſervat. 3. Ejus uxor hæc facit quidem, ſed ſecundum piam conſuetudinem vel de mane vel 4. ſub miſſa in dominicis & 5. quidem actus theologicos cum dolore tantum mentaliter elicit. Q. An Proclus po-

tuerit ſub obligatione gravi injungere materiam levem, qualis eſt in caſu aſſignato? ℟. negative: quia materia levis eſt incapax obligationis gravis, debet enim eſſe proportio inter obligationem & materiam præceptam, ſicut inter culpam & pœnam, ne majorem imponat, minorem tamen imponi poſſe non negamus. Et hinc ad 2. ſequitur, quod Patroclus non peccaverit graviter ſepoſito contemtu, quia oblgatio utpote cuilibet diei annexa levis erat. Ad 3. Uxor Patrocli ſatisfecit, quia humano modo ſubſtantiam præcepti poſuit, quod eſt intentum legislatoris. Ad 4. Neque impedit, quod in dominicis ſub miſſa, quia lex una non impediebat alteram, ſed potius juvabat. *

* Vix ego conſulerem absque peculiari neceſſitate, ut quis eodem tempore & Miſſam die feſto audiret, & horas canonicas perſolveret. Contrariam ſententiam utpote communem non improbo. At tam ſevera œconomia qui tributa Deo debita ſolvunt, neſcio, quo animo divitias miſericordiæ divinæ copioſas ſperare valeant. cl. Concina. Tom. VI. lib. 1. diſſ. 5. cap. 10. Num. 3.

Ad 5. Cum legifer pure humanos actus mere internos præcipere non poſſit, quia de illis nec judicare, nec ad illos cogere poteſt; qui actus tamen ad poteſtatem legislativam ſunt requiſiti. Hinc uxor Patrocli quoad illos actus non judicatur ſatisfeciſſe, neque tamen propter levitatem culpanda graviter, ſed ſuaviter inducenda, ut durante ſaltem obligatione illos actus etiam ore eliciat.

De obligatione ejusdem.

VI. Daviſius herus acatholicus habet Miſipium catholicum pauperem adeo debilem, ut neque pedibus conſiſtere poſſit, cui omnia præbet paterne, ſed vult, ut ſequatur illud Apoſt. 1. Cor. 10. *omne, quod vobis apponitur, manducate.* Q. 1. an leges humanæ obligent in conſcientia? ℟. affirmative: quia Apoſtolus Rom. 13. vult, ut omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, non ſolum propter viam, ſed etiam propter conſcientiam, alias qui reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt. Idem Epheſ. 6. docet, conformiter ad præceptum quartum Decalogi, quod præceptum Patris in liberos,

heri

heri in famulos obliget in conſcientia, quid ni ex eodem præcepto lex Principis in ſubditos? Q. 2. an lex humana obliget cum certo periculo gravis damni? ℟. per ſe loquendo, non, quia talis lex non eſſet accomodata fragilitati humanæ nec ſecundum hominum mores & loci conſuetudinem poſſibilis; imo nec ipſa lex divina ſic obligat, ut patet de integritate materiali confeſſionis; & hinc ſequitur, quod Miſipius caſu quo apud catholicos non poſſit habere ſuſtentationem, neque natura ejus ob debilitatem nimiam, juſculo, oleribus, & ſimilibus valeat ſuſtentari, ſequitur, inquam, quod diebus vetitis poſſit manducare carnes. Dictum per ſe loquendo, quia tres excipiuntur caſus; primus eſt caſus ſcandali, ut patet ex Machab. 2. cap. 6. de Eleazaro. Secundus, ſi bonum commune exigat, hoc enim vitæ alicujus particularis prævalet. Tertius, quando legis transgreſſio cederet in contemptum religionis, Eccleſiæ, aut eccleſiaſticæ poteſtatis, quia majus bonum eſt, quod Deus in Eccleſia & religione a ſe fundata non contemnatur, quam quod vita unius privati perdatur: ex his jam eruendum, quid de Miſipio dicendum, ſi unus ex caſibus exceptis de illo verificaretur, quod circumſtantiæ indicabunt.

De ejus ſubjecto.

VII. Henricus Princeps fert legem, ne quis veſtibus auro argentove ornatis utatur, ſed ipſe non obſervat. 2. Nequis certis temporibus venetur, at Clerici quidam non putantes hanc legem ad ſe pertinere, propter exemtionem venari pergunt; verum Principis Venatores illos deprehendentes eorum canes confodiunt, ipſisque ſclopeta eripiunt. Q. 2. an & quomodo legislator teneatur ſuis legibus? ℟. Si materia legum æque illi conveniat ac ſubditis, tenetur ſuis legibus, etiamſi ſit legislator ſingularis & abſolutus, ſed indirecte tantum quoad vim directivam, quia juxta S. Aug. lib. 3. confeſſ. cap. 8. *turpis omnis pars eſt ſuo univerſo non congruens.* Hæc tamen obligatio demto ſcandalo, aliave circumſtantia gravi, puta damni tertio evenientis, gravis non eſt, quia illa indecentia non eſt tanta. In caſu Henricus nullatenus peccavit, quia materia legis eidem non conveniebat. Contrarium eſt verum de regno democratico, vel ariſtocratico, ubi ſinguli legislatores di-

ſtributive ſumti ſunt Reipub. aut ſenatui, a quo cogi poſſunt, inferiores. Q. 2. an Clerici teneantur legibus civilibus? ℞. Si ſint leges bonum commune ſpectantes, neque ſacris canonibus, neque clericorum ſtatui contrariæ, tenentur juxta verba S. Aug. jam citata; ſed directive tantum, & hinc delinquentes ad proprium ſuperiorem ſunt deferendi, ab eoque pœnis congruis emendandi. Ex his ſequitur 1. quod illi Clerici male egerint contra legem pro bono communi latam e. g. dum feræ ſunt gravidæ, pariuntve, dum ſegetes intumeſcunt, venando. 2. Quod & ſi forte præter culpam ignoraverint canones antiquorum Conciliorum Turon. 3. C. 8. Agath. Can. 53. Auguſt. Can. 2. ſcire tamen debuiſſent Trid. ſeſſ. 24. de reform. cap. 12. ubi hæc: *veſtitu iuſuper decenti tam in Eccleſia, quam extra aſſidue utantur, ab illicitisque venationibus, aucupiis, choreis, tabernis, luſibusque abſtineant, atque ea morum integritate polleant, ut merito Eccleſiæ ſenatus dici poſſit.* 3. Quod venatores tam violentas actiones contra clericos exercendo excommunicationem Papæ reſervatam incurrerint juxta Cap. *ſiquis ſuadente* vid. Billuart tom. 18. Pag. 352.

VIII. Adam & Eva ſectæ anabaptiſticæ ſeu menniſticæ contraxere matrimonium in gradu conſanguinitatis ab Eccleſia prohibito, ſed aliquot poſt annos ambo fidem catholicam amplectuntur. Q. an infideles teneantur ſacris Eccleſiæ legibus? ℞. Non: *quid enim ad nos de his, qui foris ſunt judicare?* Apoſt. 1. Cor. 5. dixi *ſacris*: nam legibus politicis, ſi Prælatis Eccleſiaſticis civiliter ſubſint, ut partes Reip. tenentur. Q. 2. an acatholici baptizati teneantur? ℞. affirmative: etenim plures leges contra illos qua tales ſunt latæ tam in jure canonico, quam in aliis conſtitutionibus Eccleſiaſticis, quæ fruſtraneæ erunt; catholicum enim non concernunt, quamdiu eſt catholicus, & quamprimum definit eſſe catholicus, juxta adverſarios eundem non tangunt, ad quid ergo illæ leges? ad quid poteſtas diſpenſandi cum ejusmodi converſis? *in contractis vero cum H. H. converſis . . . . . etiam in ſecundo ſimplici & mixto.* Ita teſte Lacroix p. 3. N. 832. tenor facultatis nuntio cuidam conceſſæ. Frivola ſane erit hæc poteſtas diſpenſandi, ubi illi lege non ligantur. Q. 3. an præfati indigeant diſpenſatione ſuper impedimento

ad

ad hoc, ut post conversionem permaneant in matrimonio antea contracto? ℟. Res tota videtur pendere a baptismo anabaptistico, in quo unus, ut fertur, pronuntiat formam, alter affundens aquam abluit. Hic baptismus, cum juxta communem D. D. nullus sit, hinc quidem fati indigent baptismo, non autem dispensatione super impedimento pure Ecclesiastico, patet ex dictis; sed quia Marsilius, & Cajetanus hunc baptismum reputant validum, atque Diana, Gobat, cum aliis eundem in necessitate adhibendum judicant, hinc ille baptismus apparet dubius, ergo non solum baptismus sub conditione repetendus, sed etiam petita & obtenta dispensatione super impedimento de novo contrahendum, ut utrobique eorum saluti prospiciatur. *

* Si casus contingat, quod pars catholica velit nubere anabaptisticæ; parochus quacunque obtenta licentia non debet assistere tali matrimonio propter probabilius latens impedimentum disparitatis cultus, nisi anabaptistica prius velit suscipere baptismum certum, sed sub conditione.

IX. Anna 1. alit fratrem suum fatuum, lucida tamen intervalla habentem, huic semper dat carnes commedendas, tempore amentiæ diebus dominicis illum adigit ad stabula purganda, sed dum vicini sunt in Ecclesia, ne quis videat. 2. Hospitibus, quos novit catholicos, ex diœcesi, in qua scit in quatragesima dispensatum ad se venientibus pariter apponit carnes, quamvis in loco domicilii Annæ non sit dispensatum. 3. Filios habet duos octennem valde stupidum, & sexennem, cui usus rationis ante annos; neutrum adigit ad Ecclesiam in diebus præceptis, neque juniorem, dum maledicit &c., ut a matre didicit, corrigit, sed potius gaudet, quod sit tam prudens, neque eidem graviter infirmo sacerdotem accersit. ℟. ad 1. Fatuis perpetuis posse dari carnes diebus vetitis nemo negat, quia lex ratione utentibus est posita. Lucida intervalla habentibus posse semper dari, ut probabilius tenet Pringue cum aliis Tom. 3. pag. 236. quia, cum frequenter contingat amentiam evenire ex debilitate cerebri, aliarumve potentiarum pro usu rationis prærequisitarum, vel saltem, an inde non proveniat, discerni non possit, sic ratione morbi illi legi non adstringuntur. Adigendo

fatuum

fatuum ad opera ſervilia diebus dominicis, etiamſi nemo viderit, Anna peccavit, quia dicitur: memento ut *diem* ſabathi *ſanctifices* ita, ut difformitas non tam afficiat agentem, quam ipſum feſtum. Modo laudatus pag. 235. ad 2. Si gravia mala, propter quæ obligatio legis ceſſat, prudenter ac fundate non timuit, neque illos generaliter diſpenſatos præſumere potuit (quod illi utpote catholici, de his enim ſermo eſt, ad vitandum ſcandalum dicere debuiſſent) male fecit, etenim lex jejunii 40. malis eſt univerſalis, non particularis, conſequenter ſicut Belga diebus ſabathinis inter feſtum nativitatis Domini & purificationis B. V. M. e Belgio ad germaniam veniens debet a carnibus abſtinere, ſic & illi in aliqua diecœſi tempore 40. malis diſpenſati venientes ad aliam in qua non eſt diſpenſatum . . . . Sed etſi lex eſſet localis tantum, tamen advenæ debent ſe accommodare legibus loci, in quo ſunt tempore legis obſervantiæ proportionato; cum enim, ſi in ipſorum patria talis lex vigeret, non autem in loco, ad quem tranſeundo venirent, dummodo non in fraudem, juxta omnes exemptione gauderent, ergo & legem in hac patria ferant, oportet. Accedit praxis timoratorum, quæ in moralibus ut regula ſuſcipitur. Ad 3. quod octennem non adegerit ad Eccleſiam, male, quia quamvis ſtupidus forte in quibusdam, ſupponitur tamen talem habuiſſe rationis uſum, qui ad hoc præceptum qualicunque modo implendum erat ſufficiens. Dictum *qualicunque modo*: non enim cum Sebaldo, Pringue &c. putamus gravem eſſe obligationem hanc, in pueris 7. vel 8. annorum, eandem nec dum plene capientibus . . . . Sexennem quidem ex decentia ad Eccleſiam ſcholasque mittere debuiſſet, ut ſic didiciſſet obligationes hominis chriſtiani, iisdemque eſſet aſſuefactus, attamen obligatio quoad miſſam audiendam probari nequit ex lege humana, ad ea, quæ communiter fiunt, attendente. Eundem uſu rationis pollentem, dum maledicit non corrigens peccat contra præceptum de correctione fraterna, contra pietatem maternam, qua itidem ſpecialis cura ei incumbit de prolibus pie educandis. Si gaudium ſuum coram puero prodiderit e. g. ridendo &c. rea eſt ſpecialis peccati ſcandali, quia ſic confirmando ad ulteriora maledicta induxit, quamvis hujus peccati jam rea ſit per ſuas maledictiones, per omiſſionem correctionis fructuoſæ. Vide Billuart. Tom. 8. pag. 488. eidem graviter

viter infirmo non accerſendo confeſſarium graviter peccat, quia præceptum de confeſſione in periculo mortis eſt divinum obligans omnes ratione utentes etiam ſexennes, dum timetur, ut in caſu, ne ſubſint peccato gravi propter periculum æternæ damnationis. Sebaldus cum aliis Tom. 1. pag. 113.

De ceſſatione finis legis.

X. Valentinus vir doctus deſtitutus facultate legendi libros prohibitos, indiſcriminatim legit omnes, quia in ſe non advertit periculum perverſionis. ℞. Male: quia finis legis ad id, quod communiter contingit, attendentis ceſſat tantum in particulari, & quidem negative. Aliud eſſet, ſi ceſſaret contrarie obſervatione legis in reip. damnum vergente. *

* Fatemur quidem cum Laymann lib. 2. tract. 1. cap. 15. N. 4. cum Sebaldo tom. 1. pag. 293. bullam cœnæ non eſſe cum tanto rigore in germania receptam, ſi quidem libri h. h. tractantes de jure, arte medica hiſtoria &c. etiam publice prælegantur, quibus tamen plerumque unam vel plures h. h. propoſitiones obiter admixtas repereris. Fatemur etiam cum Billuart tom. 7. pag. 153. indicem concilii Trid. non eſſe quoad omnia in toto rigore receptum, ſcilicet ſi abſit periculum perverſionis hoc enim imminente jus naturæ & divinum juxta illud: qui amat periculum &c. dictat, tales libros eſſe vitandos. An vero hoc periculum non adſit, dum omnis utriusque ſexus quascunque chartequas pro libitu legit, colligi poſſe videtur ab effectu, ſumma morum corruptela.

Diſpenſatio eſt relaxatio legis in aliquo particulari, manente obligatione quoad alios.

XI. Virgilius petit ab Udalrico Epiſcopo diſpenſationem in quadrageſima, cauſam tamen non habet, Udalricus autem fundate audiens Virgilium etiam ſine diſpenſatione manducaturum carnes, diſpenſat. Q. 1. an inferior poſſit valide diſpenſare in legibus ſuperioris ſine cauſa? ℞. negative: non enim plus poteſt, quam ipſi ſit conceſſum, vel a jure, vel dele-

gatione ſuperioris vel privilegio aut *longæva & rationabili ac legitime præſcripta conſuetudine* cap. finali de conſuetudine. præſumi autem non poteſt, quod Jus vel ſuperior concedant, quæ ſine peccato fieri non poſſunt, eo ipſo enim illæ conceſſiones ceſſarent eſſe rationabiles. Ex his patet, quod Udalricus diſpenſans in quadrageſima ſine cauſa invalide diſpenſarit; ſimul & illicite, quia uſus jurisdictione non conceſſa, & conſequenter tam ipſe, quam diſpenſatus peccarunt ſecundum quantitatem materiæ. Q. 2. quid, ſi Papa in ſimili caſu diſpenſet? ℞. Si ſcienter bene quoad valorem, quia in lege ſua omnimode a ſe dependente, ſed male quoad licitatem tam ex parte dantis quam petentis, ſuppoſito, quod utrique in ſufficientia cauſæ ſit cognita. Ex parte dantis, quia temere facit partem diſcordare a toto; ex parte petentis, quia ſine cauſa communitati non conformatur. Hoc tamen peccatum ſecluſo ſcandalo & gravi aliorum damno juxta Sanchez. Navar. Laymann. & alios, ex parte neutrius videtur grave, quia juſtitia legalis exigens conformitatem inter communitatis membra ad eam tuendam non obligat graviter. Q. 3. Quid, ſi legislator in ſua lege ſine juſta cauſa diſpenſet ignoranter, e. g. male informatus ab oratore, qui ſcilicet vel falſum allegat (vocatur obreptio) vel verum reticet (dicitur ſubreptio)? ℞. Si falſitas verſetur circa cauſam principalem, nulla eſt diſpenſatio, quia talis error tollit conſenſum ſuperioris, idque indicat clauſula: *Si preces veritate nitantur.* Si vero ob- aut ſubreptio verſetur circa cauſam impulſivam tantum, & minus principalem ex malitia allegantis, pariter nulla eſt diſpenſatio, ſi ex ſimplicitate & ignorantia oratoris, eſt valida, ita expreſſe diſtinguit & ſtatuit Innocentius III. cap. ſuper litteris de reſcript.

XIII. Wolffgangus nobilis ob infirmitatem obtinet diſpenſationem commedendi carnes diebus vetitis, ſed ſanitati ex integrò reſtitutus pergit uti diſpenſatione. 2. Ad inimicitias graves inter familias extinguendas vult ducere Wiltrudem, in ſecundo gradu ſibi conſanguineam, ſuper quo petit, obtinetque, ut ordinarius, ſi ita eſt, cum ipſo diſpenſet in ordine ad matrimonium, ſed antequam ordinarius diſpenſat, inimicitiæ ſunt ſublatæ.

Q. 1.

Q. 1. Quænam caufæ difpenfandi? R. Sunt pietas, utilitas in bonum commune redundans, neceffitas non extrema, hæc enim per fe legem tollit. Item merita oratorum. Ad has reliquæ caufæ in A. A. legi folitæ reducuntur. Q. 2. An ceffet difpenfatio data, ceffante caufa propter quam? ℞. Per fe loquendo non ceffat, quia obligatio legis femel extincta non reviviscit, nifi per novum actum legislatoris volentis, talem legi rurfus fubjicere, quod hic non fit. *Dictum per fe*, quia fi difpenfatio fit reftricta ad tempus exiftentiæ caufæ, fublata caufa ceffat difpenfatio. Hæc reftrictio. fi fit tacita, ut dignofcatur, attendatur ad motivum, quodfi prudenter credatur, tantum ad tempus aliquod duraturum, illo ceffante difpenfatio ceffat, quia non poteft præfumi, legislatorem velle peccare, peccaret autem, fi pro caufa tranfeunte daret difpenfationem perpetuam; & hinc patet. ℞. ad 1. quod Wolffgangus peccarit commedendo carnes fanitati reftitutus. Pariter ad 2. Communis Theologorum refponfio eft negativa, quia nondum data, fed modo per ordinarium danda erat difpenfatio fubfiftente precum veritate, quæ non amplius fubfiftit. *

* Communis hæc Theologorum refponfio vera eft, fi ex alio motivo ceffarint inimicitiæ, fecus fi matrimonium in fpe fuerit caufa reconciliationis inter familias, tum enim illæ inimicitiæ tantum cenfentur tantifper fopitæ, non extinctæ, fed modo per matrimonium plene extinguendæ.

Confuetudo juxta S. Thomam in 3. Sent. D. 23. Q. 1. A. 14. quæft. 2. *Eft frequentia operandi libere eodem modo.* poteft legem inducere, abrogare, interpretari.

XIII. Xiftus mercator vectigalia, accifias &c. defraudat, ubicunque poteft, correptus a quodam, an non ducat fibi peccato? reponit quid peccato? Scio me debere folvere mulctam, fi deprehendar, fed de peccato nullus mercatorum aliquid fcit. Q. An confuetudo poffit abro-

abrogare legem quoad culpam remanente pœna? ℟. Affirmative: sic enim leges subinde feruntur sub sola pœna, quare ergo consuetudo rationabilis non possit sic culpam, manente lege quod pœnam, abrogare, cum totam aufferre queat? Excipe censuras, quæ feruntur propter culpam. Ex his sequitur, quod Xistus dato, quod vere subsistat legis abrogatio quoad culpam, ex hoc capite non peccarit, dummodo paratus fuerit solvere mulctam, potuit tamen peccare se familiamque suam exponendo periculo depauperationis ob gravissimas mulctas ejusmodi defraudatoribus subinde imponi solitas.


Inches
1 2 3 4 5 6 7 8
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19
Centimetres
TIFFEN Color Control Patches
© The Tiffen Company, 2007
Blue
Cyan
Green
Yellow
Red
Magenta
White
3/Color
Black


TIFFEN Gray Scale
© The Tiffen Company, 2007
R G B W G K C Y M
A 1 2 3 4 5 6 M 8 9 10 11 12 13 14 15 B 17 18 19